GRATIA.
CRUCIS ET VIRGINIS PROLES.
B. JOANNES
A CRUCE.
SACRI ORDINIS PP. CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

PRIMUS RELIGIOSUS.

SERAPHICÆ MATRIS AC VIRGINIS.

S. TERESIÆ A JESU.
COADIUTOR FIDELISSIMUS.

In primo Beatificationis suæ Triumpho,

ORATIONE PANEGYRICA

Ad Ecclesiam sui Ordinis, Conuentûs Posnaniensis,

DEMONSTRATUS.

Per

M. SEBASTIANUM IOANNEM LESCZENSKI. Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracouien: Doctorem & in Collegio Lubransciano Posnanien: Eloquentiæ Professorem.

Anno Patentis Gratiarum Portæ. M. DC. LXXV. Die 20 Octobris.

IN ARMA ANTIQVISSIMÆ CARMELITANÆ FAMILIÆ.



Candida stellatos dum pandit Gratia postes,
Flammeus Eliæ quid peto mucro velit?
Excubat inclamans: procul ô procul este prophani!
Delicias carpet Gratia sola meas.

FÆCVNDÆ VIRGINI,
ILLIBATÆ MATRI.
Ignis Eliani æstuario,
Amoris Seraphici Vesuuio.

DIVÆ TERESIÆ
A JESV.

DISCALCEATI CARMELI ORDINEM,
Sponso DEO,
Pronubâ DEIPARA,
Magno militantis ECCLESIÆ bono;
feliciter enixæ.

INVICTÆ HEROIDI.
Ascetici Recessûs,
Fundamento, Basi, Columnæ.
SANCTITATIS FASTIGIO.
Laboris sui primitias,
PRIMOGENITO EIVS SACRAS;
Cliens Minimus
D. D. D.

AVsa e suis latebris, in publicum euolare, tenuis mea lucubratio non melius conquieuerit, quàm ad Tuos pedes. DIVA MATER. Fluctuanti nempe, & per terrenas vndas quærenti, vbi requiesceret pes eius; præiuit Columba Tua, pacificæ ramum Oliuæ prætendens: nec alibi mansuram securius indicans, quàm in Eliano Paradiso: malignorum sagittis imperuio, popularibus vndis inaccesso. Fastidiret forsitan elinguem hanc, & balbutientem Suadam, immodicè iam comptus seculi genius: ad Te igitur confugit, cui infantiles etiam nænias, vacillantibus syllabis prolatas, audire volupe est: Mater cum sis. Condiet asperitatem sermonis, verborum scabritiem emolliet, gratum Superis, iucundum Tibi, GRATIÆ à CRVCE nomen: ambrosiam spirans & nectar. Quòdsi par Primogenito Tuo Encomiastes non assurgit; Tuâ id factum causâ: quæ dum Eum adhuc viuentem, Seraphico stylo, SANCTVM proclamâsses; effecisti, vt tam Augustam Panegyrim, sola Ecclesia posset imitari. Tantis Oraculis quidquid, in terris accinit; leuis quædam, & euanida Echo est: reddens verba nouissima, & ea quidem non sua. In tam sacra dicendi materie, temeritas etiam non improspera est. Icarium iter tentans, casum non metuit: quia non infra, sed supra se, Mare habet MARIANVM: in quod prolabi, quantæ felicitatis esset! Si non improbas, humillimi cultoris conatum; næ ille vicit Zoilorum dentes. non improbas autem sat scio. Cælitum enim natura est, à clientibus suis exigere, non quantum debent; sed quantum possunt.

ORATIO.

Cælestе Virginitatis germen, fructum arboris Vitæ salutiferum, præcinente Summo in terris Oraculo, applaudente Orbe, qui in Urbem sui compendium, ad hauriendos Uberes Anni Gratiæ proventus, confluxit; læto suscipimus cultu. A A. Fæcunda rursus, non inusitato jam, post Virginem Matrem ostento Virginitas: nedum in fragili hâc & luteâ mortalitatis domo, filiorum lætatur aspectu; sed novellas etiam olivarum, in circuitu mensæ Domini, gaudet collocatas. Arbor scientiæ boni & mali, in qua impatibilis DEUS, extrema quæq; tolerare didicit, ut nos optima speraremus; maturum cælo, terris salubrē fructum protulit: hoc enim ex ipsa vi nominis sonat, JOANNES, id est Gratia à Cruce. Latuerat hæc aliquandiu, nec confestim orbi tantum bonum, Eliani custos Paradisi Cherub patefecit; donec solutis Portæ Sanctæ repagulis, (per quam, quidquid in cælo gratiarum extitit, in orbem plenis alveis defluxit) hæc quoq; nobis pateret, quibus sacratissima illa divitiarum cælestium adyta, spectare & ingredi non licuit. Debebatur hoc felicitati Tuæ, Clementissime Orbis Præses, CLEMENS X, cujus fastos, crebrâ Divorum Apotheosi insignitos, rarâ inconcessâq; pluribus felicitate, uterq; orbis, non sine admiratione venerabitur: sub cujus faustissimorum Syderum constellatione, novus eum gratiarum cataclysmus inundavit: & cunctis montibus sublimior, altissimum Carmeli Verticem, purissimis lymphis operuit: dumq; Magni Tui fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, de ejus plenitudine, tot in nos bona, tot favores promânarunt. Sublimia Vocis Tuæ Oracula, inter tot publicæ venerationi exposita nomina, mundo nec ignota, nec tacenda; delicias spirant in ROSA, Apostolicum robur in PETRO Alcantara, Victorias in LUDOVICO Beltrando, libertatem in FRANCISCO Borgia, stabilitatem gloriæ in STANISLAO Kostka, pacem in SALOMEA, gratias in JOANNE. Ut jam mirum non sit, tam gratioso ex ipso Nomine Principi, in quo sacer ille denarius, exactissimam perfectionum omnium conclusit Pyramidem, Portam Gratiarum cessisse reserandam. Sed me tantorum nominum fulgor, nedum Orationis agonem ingressum, repente perstrinxit: quibus venerandis profundum sat erit silentium: ne dum tot collectos soles, debili pupillâ, impar sanè Argi æmulator, contrecto audentiùs; illicò Tiresias deprehendar. Fatigabitis insignes calamos, ô lucidissimæ ævi nostri gemmæ! sub Vestris elogiis ingentia pulpita, illustres exedræ desudabunt. non deerunt decora ingenia: quæ collectam in se lucem Vestram,

veluti ad tersissimum speculum reflexam, non quidem illustriorem efficient; sed magis spectabilem. celebrabitur vel eo solùm nomine, seculum satis felix: quòd cum tot Provincias, Bysantino Phalaridi, in fœdam servitutem cessisse ingemuerit; mundano Imperio coarctato, cæleste dilatârit: dum nimirum Princeps futuri seculi, sub finem temporum, novum sibi suisq; in regione pacis regnum stabiliens; novas è terris deducit Colonias: in quibus purpuratas nascentis, & mundo denascentis Ecclesiæ legiones, gratâ varietate distinguant, liliati Proceres. Narrabitur inquam seræ posteritati præsens seculum: inter tot detrimenta opulentissimum, inter lacrymas lætissimum, inter bella pacatissimum, inter infortunia fortunatissimum. nec inconcinnè subolebit cuipiam, ad tantorum solennium illustres ferias, ipsa è terris in Empyreum gaudia commigrâsse: ideoq; non facilè aliis communicari, quàm quibus infixa cælo, immersa DEO mens est. Dum verò novum hoc in altaribus exortum Sydus, Seraphicæ Matris TERESSIÆ fidelissimum Coadjutorem, alterumq; Excalceati Carmeli Parentem, D. JOANNEM à CRUCE, mihi publico Venerandum cultu conspicio; nec initium, nec exitum Orationis reperio. Ipsum nempe tam augusti nominis vocabulum, gratiis deliciisq; vernans; omnem Tulliani fluminis dulcorem exhaurire capax est: meritorum ac sanctitatis gloria, Uberrimam dicendi venam potest absumere. Disertissimus alioqui Cyneas, Romani Senatûs amplitudinem conspiciens, sensit eo splendore, Orationis suæ lumina eclypsari. quidni & ego deficiam? dum in hoc sanctitatis & innocentiæ Templo, Heroicarum Virtutum Areopagum: non jam intempestâ nocte; sed luce illustrissimâ consedisse video. Inopem & mendicam facundiæ vim, ac minimis quibusq; imparem, ipsa materiæ sublimitas, nedum terret; sed prosternit: nî Vestra A: O: erigat benevolentia, & tàm gratiosi Nominis benignitas. quæ despondenti animum eloquio aurem Vellicat: neq; satis pro dignitate unquam, Divorum elogia, mortali ore depromi: neq; sine piaculo præteriri: & nunquam sine præmio esse, licet imparem; felicem tamen hoc nomine temeritatem: quòd cùm Divis non prosit; prosit sibi. Dabis igitur Veniam Magne JOANNES, si amplitudinis Tuæ capacitatem, exili conceptûs mei decempedâ, metiri præsumam: amplioribus alibi Te celebrari præconiis non ignoro; at nuspiam satis Tuis: eadem mihi cum cæteris nota erit, nec magnitudini Tuæ nec Voluntati meæ satisfecisse. Ignoscetis & Vos devotissimi Auditores; si ad tantam lucem, dictionis meæ acies palpitaverit: ac in immenso gratiarum pelago fluctanti, benevoli affectûs auram adspirabitis.

Vellem ego curiosæ neutiquam novitatis affectator, consueta Oratorum terere Vestigia: quibus sublimes illustrium Virorum Panegyres, ab antiquissimis majorum insignibus ordiri, solenne est: receptâ, imò in immensum productâ superstitione, numerosam paginarum molem, effictis etiam & fabulosis; ac ex obscuro antiquitatis fumo, in lucem protractis imaginibus infarcire labore (ut ego quidem opinor) sæpè irrito: quippè si personam dignam suorum laude atavorum deprædicet; tantum ipsi adimit, quantum illis adauget: si degenerem nanciscatur; laudis specie improperat, & insultat. Naturæ crepundia sunt hæc, qui-

 bus illa

bus illa à teneris illectos mortales, dum hæc sola tantummodo admirari, & adorare docet; veram Virtutis pulcritudinem, si non despectam, certè non ita optandam efficit: multis vanâ opinione persuasis; nobilitatis decora non esse acquirenda, cùm Vernacula domi sint. Inopis certè, ne dicam avari est, ad augendum domesticum splendorem, priscorum Heroum sepulcra compilare: & in speciosos elogiorum suorum titulos, detracta Sarcophagis Epitaphia, puerili sanè furto adaptare. In Orchestra mortalitatis, multò avidiùs ea spectantur: quæ vivis distincta coloribus, gratâ varietate oculos everberant; quàm quæ obscuris expressa Umbris, indiscretâ superficie, fallunt Visum, non alunt; fatigant, non satiant. non equidem omnino rejicienda, sed subsecundariis adhibenda scenis; quas nimirum ad vivum exhiberi, possibile non est. Neq; ego majorum lucem, Divo JOANNI defuisse concesserim. Sæpenumero soles hi, in paupertatis eclypticâ; non quidem amittunt splendorem, sed abscondunt. Habet suum fortuna cursum, quo ad instar primi mobilis, rationales Sphæras, nunc in augem honorum, divitiarum, Majestatis attollit: nunc infra perigæum deprimit; securâ tamen semper Virtute, & sub terris etiam radiante. Obscuro natum loco, Divum JOANNEM dicere, piaculum est; dum in Hispania natum dicimus: quæ omnes infidelitatis tenebras, non odit tantùm; sed accensis facibus, lynceis planè oculis scrutatur, flammis abolendas: ipsas nimirùm hoc saltem modo, cogens splendescere. Regio hæc amica lucis, cum Solis occasum nesciat, inter tot lumina, quæ Orthodoxæ Ecclesiæ fecit exoriri, duorum Principum CAROLI, V & PHILIPPI II seculo; ingentes illas primæ Magnitudinis stellas, IGNATIUM LOJOLAM, LUDOVICUM BELTRANDUM, FRANCISCUM XAVERIUM, FRANCISCUM BORGIAM, TERESSIAM à JESU, JOANNI nostro coævas, in ejus Firmamentum intulit: ut dum Potentissimi Reges, arma Victricia, per novos Orbes extenderent; Ecclesiæ quoq; Monarchia, Alcidæ limites egressa; ignotas & defletas ALEXANDRO Macedoni Provincias, novo bellatorum aucta numero, computaret. Vix cunis egressus, è blando parentùm sinu, in placidum DEIPARÆ Virginis gremium transfertur: præcipiente matris curam, Matre misericordiarum: quæ gerulæ functa officio, vera scilicet Nöemi, magnæ Principem Familiæ, suum dici & esse voluit. Deciderat gemino casu, in profundam aquarum voraginem, tenellus adhuc JOANNES: & ecce dum omni destitutus ope ima petit; non deest pulchræ dilectionis Mater, unaq; Virgineus Sponsus: submersum erigunt, gravitantem sustentant, desperatum luci Parentibusq; reddunt. Agnosco nova, in novo Moyse prodigia: nempe & hic in cænoso ac turbido fluitans Nilo, Regiæ Viraginis manu tollitur; olim in filium, stabiliori profectò fortunâ adoptandus. Non evasisti Undas Sanctissime pusio, sed mutâsti: ex turbida lacuna, in Mare magnum ac spatiosum translatus. Felix certè casus, qui te in tantam felicitatem detrusit: felix orbitas, quæ Patris immaturâ morte pupillum, cæli pupillam fecit: deditq; sub illis vivere Parentibus, sub quorum Magisterio, humanatum VERBUM, patientiæ tyrocinium exegit. Mitte jam omnem de filio curam ô Mater! humanis erudire artibus ne cogita; quem arcanorum suorum inter-

 pretem

pretem fideliſſimum, Divinitas ſibi ſepoſuit. Liber vitæ intus & foris, cruento charactere exaratus, Divini humaniq; Juris, illi monſtrat rubricas. Schola illi Noſocomium, Magiſtra Charitas. In hac nempe miſeriarum ac patientiæ Univerſitate, cæleſtis Theologia diſcitur: cujus objectum DEUS, ſi uſpiam alibi, maximè in egenis ac debilibus, ſeſe præſentiſſimum exhibet: nedum demonſtrabilem, verùm planè palpabilem. Hinc illa inacceſſa, Myſticorum Tractatuum ſublimitas emerſit: hinc ſacra Epithalamia, Seraphicis decantata modulis: hinc inſatiabilis patiendi orexis, nulli calamitatum ac deſpectuum explenda lautitiis: hinc animus abſtractus terris, cælo inhærens, nihil ſcire cupiens, niſi CHRISTUM, & hunc Crucifixum.

Hactenùs infirmum ſpectâſti DEUM, Dive Adoleſcens: glorioſum videre vis? montem aſcendas neceſſe eſt: hîc ille Divinitatis radios, amoto ſipario exhibet: hîc ſole auguſtiorem vultum, hîc candidiſſimas veſtium nives, ſpectandas præbet: hîc cum ELIA moras nectens, te futurum Religionis ſuæ Moyſen præſtolatur. Attollite portas & Vos MARIANI Principes (meritò enim Vos hoc titulo inſigniero, tantæ Reginæ filios) in monte Veſtro, qui totus ſanctus eſt, Sanctitatis ponat fundamenta: aſpero obſcuroq; pænitentiæ cilicio, lacteum Angelicæ puritatis candorem circumponat: cujus iſta flos eſt pulcherrimus. Cæleſtis hic animus, humiq; reptare neſcius, elevet corpuſculum quantùm valet, Deoq; propius admoveat, in Vertice Carmeli.

Ad ſacri hujus montis admiſſus receſſum, non dico immutatus; ſed planè alter factus eſt JOANNES: ita tamen, ut illi renaſcentis Solis elogium, non inſulſo cujuſpiam commento adaptatum, magnopere ſerviat: Alius & idem. Meſſalam Corvinum, Ciceronis ætate & eloquentiâ ſupparem; caſu quodam proprii nominis oblitum, tradidit antiquitas. Eadem Divo noſtro, licet ex alio fonte oblivia. Mundo ereptus, nedum omnium ejus ineptiarum; ſed cognominis quoq; proprii excidit memoriâ: familiæ Patriſq; nomen, vix ad radicem Carmeli, potuit eum comitari: nam faſtus, ambitio, habendi cupiditas, & alia ſeculi inquinamenta; ne in ſeculo quidem illi adhæsêre: Matthiæ Apoſtoli nomen & omen ſumpſit: cujus felici ſorte, ad Apoſtolicam ſublimitatem, ipſamq; CRUCEM, humilitate eſſet perventurus. Hæc eſt deliciarum tuarum vis, Mons ſanctiſſime: in cujus vertice conſtitutis, diutina cum Moyſe fames, convivium eſt: Ubi non in ſonoro Elementorum fremitu, non in igne devorante, non in commotione; ſed in tenuis auræ ſibilo Dominus: utpote qui author pacis, amator ſilentii eſt. Vitam hanc ſolitariam quis credat? quæ cum ipſo Conditore familiariter converſatur; in quo ſunt omnia. otioſam dicere nefas eſt; quæ æternitatis Architecta, gementem ſub luto, paleâ, & latere, mundum deſpiciens; nunquam minùs otioſa eſt, quàm cum otioſa: nec uſpiam minùs ſola, quàm ubi ſola. Hoc in receſſu, deſponſa DEO mens, dilectum ſuum, inter fragrantiſſima Thomiſticæ ſpeculationis lilia; in montibus aromatum, Dionyſianæ ac Gregorianæ contemplationis; ubi cubaret in meridie, ſollicitè veſtigans; tandem in ſacris Altaribus invenit:

& ut retineret amantiùs; internum cordis cubiculum, abſtinentiâ evacuatum, pænitentiæ ſcopis mundatum, charitatis aulæis exornatum, ſincero puritatis odore, tanquam fragrantiſſimâ nardo perfudit. Ibi dilectum cordis ſui repertum, ſtrictis tenuit amplexibus; & ne unquam poſſet avolare, firmiſſimis catenis alligavit. Verè Aurei Velleris Eques, Agnum immaculatum geſtans pectore: non aureâ quidem; ſed ferreâ torque decorus: metallumq; fortius, ſplendidiori præferens; accinxit fortitudine lumbos ſuos, & in carnis innocuæ pænas, ne Spiritui unquam rebellaret; armatum flagellis, roboravit brachium ſuum.

Jam ex arcano ſeculorum rationali, ſuæ ſtationis teſſeram accepit, felix tempus; quo antiquus Carmeli decor, in primævam rurſus repueraſcens infantiam; primos Vagitus, ſub fæcundæ Virginis TERESSIÆ Uberibus, cæpit ordiri: attonito ad eam novitatem Orbe, concinente fauſtum Genethliacon Eccleſiâ. Quanta hîc prodigiorum farrago! Inops Virgo, & adverſitatum ſolummodò, adverſariorumq; dives, tot Aſceteria conſtruit! Delicatus Eden hortus, detumeſcentibus diluvii aquis, pulcrior emergit, vernantiorq;: non arcente Angelo, cujus gladium flammantem, Divæ Inſtauratricis, ſive humilitas excuſſit, ſive lacryma extinxit. Primus in ejus poſſeſſionem, reali pedum poſitione, reintroducitur ſexus; qui prior ejici meruerat. Quid amplius deeſt Tibi Diva Mater? Hominem inquit non habeo; qui deliciarum hoc dives penu, operando cuſtodiat. Confide Virgo, jacta in Dominum curam Tuam; ex cujus adyto, fauſtum tibi ſonat Oraculum: Tantiſper expecta filia, & res magnas videbis. Stoam hanc Virtutum, nunc orphanam, Magnus ſanè Magiſter, licet parvus corpore, Tuus Seneca primus illuſtrabit: nec ſolùm frequentem; ſed inſignem efficiet. Et planè ſi magnum in minimo, ſpectare unquam licuit; hæc profectò prima renaſcentis Carmeli cunabula, ſtuporem omnium vincunt. Non domus, non tugurium; ſed ergaſtulum quoddam, aut carcer potiùs deſtinatur: imò Divæ Matris vocabulo, ſtabulum verè Bethleemiticum, ubi nobiles feræ, ad Domini ſui præſepe, jugi virtutum pabulo nutriantur. Bono eſte animo illuſtres animæ: utut non ex atomis, ex modicis certè principiis coaluit, quidquid illuſtre ac magnum conſpicitur. Exigui fontes, in latiſſima excreſcunt flumina. bina ternaq; folia, mutilato immiſſa ſtipiti, ſublime brevi cacumen attollunt in æthera. Ex pauciſſimis mapalibus, Orbis capaces Urbes; ex ignobilibus Viculis, nobiliſſimæ Reſpublicæ coaluêre. Divinum ignis elementum, tantò clariùs tonat, tantò violentiùs erumpit, ſplendidioraq; emicat in fulgetra; quantò fortiùs coarctatur. Erit, erit illud profectò tempus! quo diffuſa per Orientis Occidentisq; plagas Lumina; anguſtum illud limen, auguſtum celebrari facient. Adorabit Arctous Orbis, venerabuntur Antarctici Antipodes, & quidquid gentium avara ſui hucusq; barbaries abſcondit; fauſtum hunc ſui luminis fontem, doctrinæ Peripaton, ſalutis teſſeram. Exercitati hâc in Palæſtra bellatores, Victricia per ignotos populos arma circumferent: Elianoq; gladio, Domini Exercituum honorem Zelantes, impuri Baal, myſtas impuriſſimos trucidabunt. Agnoſcet barbara Perſis, ſentiet dives America, tot Heroum ſacram melioris metalli famem: quorum induſtriâ,

 obli-

oblimatum erroribus, obſcuratum tempore; imò in puteum Democriti demerſum veritatis aurum, THOMÆ olim Apoſtoli, felici chymiâ confectum; in ſui ſolis lucem extraheret, & proprio cruore perpoliret. Venient annis ſecula ſeris, quando præeuntibus ac internuntiis, reſtaurati Carmeli ſyderibus, poſt depulſas errorum tenebras, odoriferæ Arabiæ, eoq; nomine verè felicis, Magnæ Armeniæ, Syriæq;, infulati Vertices, Veſtrorum pedum Veſtigia INNOCENTI X. & ALEXANDER VII. adorantes, bonæ fidei thymiama Vobis Eccleſiæq; adolebunt. Sed quò vadis anime? Vix Duruelenſis Eremi anguſtias deſeruiſti, & ecce orbem, quà immenſus patet peragrâſti! Adeò volubile & præceps eſt quidquid deſignatam ſui curſûs metam exceſſit! ſiſte gradum! non deeſt quod hîc ingens admireris. Aſperum hunc & inutilem antea rubum, præſentiſſimum Numen poſtquàm accendit; & ecce alteri Moyſi arcana Vox, intimas mentis aures everberat: Solve calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Paret is jubenti DEO, & in illa ſolitudine montem reperit; ubi primus & ſolus Diſcalceatæ familiæ leges, tabulis cordis ſui, Divino inſculptas pollice; ſollicitus ruminat: & exemplar futurus patientiæ, ut CHRISTO Cruci configatur, CRUCIS ſtemmate & nomine inſignitur. Fauſtum, mecaſtor, magnitudinis tuæ augurium, Dive JOANNES! Certè ſublimis ille cælorum Theologus, cum à corde CHRISTI, unde fluenta Evangelii hauſerat, magnus rediiſſet; major ſanctiorq; rediit à CRUCE: illic præco, hîc frater Domini effectus: eâdem Parente VIRGINE, obſtetrice CRUCE, Euge ne dubita Te Magnæ MATRI teneriori affectu uniendum; quæ ſub eâdem arbore, cùm univerſum fidelis propaginis germen; tum Te ſpecialiùs, Tuumq; Ordinem: tunc Benoni ſuum, nunc Benjamin amantiſſimum, ingenti cum dolore parturivit. Non eſt mei inſtituti, imò nec facultatis, ſacri illius receſsûs arcana, altiſſimo ſilentio demerſa, è latebris Religionis eruere: nempè Phariſaicam oſtentationem odiſſe, Patrem luminum clauſo exorare cubiculo, Heroicæ perfectionis opera, in abſcondito facere, à quotidiano mortificationum exercitio, quosvis teſtes, imò ipſum ſolem excludere; Carmelitani fervoris & virtutis hæreditarium eſt. Familiaria hæc Divo JOANNI fuêre commoda; terra culcitra; lapis, cervical: quies, contemplatio: cibus neceſſitati vix; palato nunquam ſerviens: quivè mortem, potiùs arceret, quàm famem ſatiaret. illa verò ſpecialiora patientiæ bellaria: fames, cibus: nives, operimentum: imbres, tegumentum: ſomnus inſomnium. Tali tyrocinio ad inſtantia ſeſe certamina diſponebat animoſus Pancratiſtes, quæ multa imminebant, à jurato Antagoniſta: qui ſive blandiens, ſive ſæviens æquè nocivus eſt; imò cùm blanditur, multò nocentior. Et hoc quidem telum, verſipellis vulpes, expedire volupe habuit: quo non aliud blandiùs ferit, perimitq; ſuaviùs. Libenter hæc tacerem Auditores. ne aurium oblectamenta, inſitâ multis vanitate, videar congerere; nî piaculum putarem, illuſtrem triumphum reticere; quem multi (fateor) conſecuti ſunt; at tantâ fortitudine, tanto fructu, profectò nemo. Stygius Angelicæ puritatis oſor, caſtiſſimum illud ſacri pectoris caſtellum expugnaturiens; faces admovet, miniſtrâ furiâ: quam, ut meliùs lateret, adureretq; fortiùs, ſpecioſo falſæ pietatis pallio contexit exteriùs,

& occultis interiùs flammis armavit. Intempesta nox, solitudo, preces, blanditiæ, extremæ impudentiæ mista desperatio, cuncta sibi pollicebantur. Quid Tibi tunc consilii, JOANNES castissime? Adfuisset saltem, salutaris illa Divi Aquinatis teda! hâc face stygium ignem restingueres: hâc infensas lumini cordis Tui tenebras, dissipares. In linguam ergò Tuam sævies? Ut innocentissimi NICETÆ verè victoriosum secutus exemplum, in faciem tentatricis expuas: & inverecundæ mulieri, saltem cruoris Tui murice, ruborem offundas? Ah ne feceris! etiam linguam præcidisse, vinci fuisset! quantùm hosti accresceret virium, sublatâ Divinissimi ardoris officinâ! Triumpharet tenebrarum, tenebrionumq; Princeps, seq; tanto impendio victum, gratularetur! Quæres igitur cum FRANCISCO nives, aut sentes cum BENEDICTO: malignam hanc, quia stygiam febrim, aut refrigeratione; aut sanguinis minutione curaturus? Nihil his opus est. & si opus sit, in lingua sunt omnia. Si flammis exurenda est, hæc scelerum seges; ignitum eloquium Tuum vehementèr: loquere tantùm, & anima peccatricis, in pænitentiæ fluenta liquefiet. Si morte nefas mulctandum est; Mors & Vita in manibus linguæ. Ita factum Auditores. Igneis linguis D. JOANNES, tartareum ignem extinxit: & quia sibi nihil; peccatrici multùm metuebat; Thavmaturgum illud Divinissimi Pnevmatis instrumentum, tantâ Eloquentiâ expediit; ut effrons suæ alienæq; pudicitiæ lena, incestos furores, casto deinceps amore commutârit. Novum hercle & inauditum Victoriæ genus! Cecidit, cecidit Tyrannus ille, quo nemo infensior mortalibus, nemo in vincendo felicior! Vicêre illum quidem plurimi, Parthorum more pugnantes: nonnulli eminùs aggressi superârunt: solus D: JOANNES cominùs manum conferens, eum sic etiam vinci posse docuit. Decerpe triumphales lauros, ex amænissimo Carmeli tui Vertice, sacra Religio! Date candida manibus plenis lilia, æternitatis candidati! en Alcides Vester detracta hosti spolia, perenne fortitudinis suæ trophæum, in Capitolio Divinitatis appendit! Accinentibus illi Empyreis Quiritibus; Vos quoq; nobiles Collegæ:

Dicite Jö Pæan, & Jö, bis dicite Pæan!

Triumphus hic, Victoriarum non meta fuit, sed gradus. Alios vicisse parum videbatur; nisi seipsum vicisset. Martius ille ac invictus animus; deficientibus, quia prostratis hostibus, sibimet ipse hostis, & vincendi materies; odisse animam suam sæpit: quid dico cæpit? imò non destitit: occasiones patiendi, perinde ac si ultrò in hâc mortalitatis catasta non occurrant, nedum quæsiit; sed anxiis etiam votis expetiit: & quod in pænam noxarum, propè nimium esset, in præmium laborum poposcit. Familiarem sibi sæpenumero, imò semper expertus DEUM, dum intensiùs efficaci prece fatigat; sibi colloquentem audit: ab eoq; petendi quod vellet; præciso repulsæ metu, accipit optionem. Quid interea censetis Auditores? (liceat mihi paulisper ancipites animos, brevi deliberatione suspendere) quid inquam censetis? (ut ridicula terris, immersarum mentium vota prætercam; quæ inepta semper: ut plurimum nociva sunt) quid tandem petiit? Ipsum scilicet cum Divo AQVINATE bonorum fontem? Non. Sublime in regno lu-

minum

minum ad utrumq; Regis latus, cum gemina illa Tonitruum prole, solium? Non. Beatissimum cum Moyse perauguſtæ faciei conſpectum? Non. Desideratam periculoſæ militiæ, cum veterano Simeone miſſionem? Non etiam: Diſſolvi & eſſe cum CHRISTO, quod oculatus cæleſtium ſpectator unicè ſuſpirabat? Non deniq; hoc ipſum. Quid igitur? DOMINE pati (inquit) & contemni pro Te. Euge Athleta fortiſſime! dabitur quod petis, ne dubita: Optimum eligendi modum ſecutus es. Non negata ſunt cæteris ſua deſideria, ſed dilata: tibi adeò ſacrum Votum, negare DEUS non potuit; differre, inhumanum duxit. Præcinge lumbos Tuos, gladio accingere: grandis enim Tibi ærumnarum via conficienda reſtat; donec ad montem DEI perveneris. inexpleta hæc patiendi eſuries, utcunq; ſit; ſaturabitur tamen opprobriis, ærumnarum bellariis ſaginabitur. Et quidem non temerè dubitaverim AA. injuriæne dici poſſunt; quas ipſe Divus JOANNES, quæſivit ut toleraret? Meritò incluſum carceri licet innocentem, auſim dicere: quem cum poſſet ſubterfugere; noluit. Inauditum Martyrii genus! quod & ſufferens extra culpam fuit, & inferens non omnino culpandus. Aenigmata loquor: liceat enim pleroſq; id latere, quod perſpicax illud D. TERESSIÆ cor, abſtruſiſſima quæq; vel in Empyreo ſcrutari ſolitum, adeò pertinaciter latuit. Ne inquirite Diſcalceati Proceres, quo abiit dilectus Veſter? deſcendit in hortum nucum, ubi comminutâ corporis teſtâ, deſideriorum ſuorum fructibus veſcatur. Igneus Seraph, in centro patientiæ, unitur igni ſuo: ad quem pertingere dum nequit; eum ad ſe attrahit. Anguſto ergaſtulo ne ſupponite incluſum: Ubi tam vaſto Giganti, aſſociata moratur Immenſitas. Sive cælum in carcerem, ſive carcer in cælum tranſiit. Liberiori auræ ſibiq; redditus, quocunq; perrexerit; patiendi ſitim, & occaſiones ſecum circumferebat: nec prius tolerare deſtitit, quàm vivere. Vidiſti ſacer Ordo, cùm in toto vitæ decurſu, tùm in extremâ illâ ægritudine, infractum animum: qualem ſuo Herculi, falſa & fallens, inter ſuprema diſcrimina, vetuſtas affinxit. Decumbebat redivivus Job, recuſum in officina doloris, ipſiſſimum patientiæ ſimulacrum: externis cruciatibus, interni angores cumulabantur. crediſſes conjuratas in illum, uno impetu calamitates irruiſſe. Tot malis, non alium murum D. JOANNES oppoſuit; quàm ſe ipſum. Alium pati crederes, incidi, curari: adeò vultu extitit, nedum conſtanti; ſed etiam alacri. Non minor in explorandis ulceribus; quàm in ſanandis, requirebatur medentis induſtria. Obfirmatus & (ſi fas eſt dicere) obſtinatus, ad tolerandum animus; tormenta illa, delicias putabat: nec aliter in illis perſtitit, ac ſi roſas calcaret, & inter florum agmina decumberet. Necdum patientiæ meta eſt. Herculeum Non Plus Ultra, ingentibus factis tranſcendere, ſeculi hujus iterata felicitas. Inconcuſsâ munitione corporis, internam cordis arcem, occultis cuniculis, Veſanus livor arietat. Apage cruenta bellua! abſcede infeliciſſimum monſtrum! nihil agis, nihil proficis, tuis te machinis peſſundas, tuo te gladio jugulâs: qui etiam nolentem, cogis ad victoriam. Plagæ tuæ, ſagittæ parvulorum factæ ſunt: ad primum iſtius turris contactum, irritæ reſilient. Carbones deſolatorii, quos ad denigrandum candorem, è ſtygiis titionibus adâptaſti; amoris igne ſuccenſi, ſuave illius virtutum thymiama liquantes, gratiſſimo ſuperos odore perfuderunt. Funeſte, tuoq; tantum

exitio

exitio felix livor, profuisti nocendo. qui dum de sancti excessibus Processum formas; innumeros reperisti sed charitatis: auxistique excessum patientiæ, de quo novus ELIAS cum transfigurato in se CHRISTO, in monte dolorum colloquebatur. Inquisitio illa (si affectus abfuisset) sola promovendæ Apotheosi sufficeret, suffecitq;: ea enim hoc tempore, in amplissima Triumphantis Ecclesiæ Purpuratorum Congregatione, sedulò agitata, brevi conclusa est: inter tot clara sanctitatis indicia, minus habitura momenti; si de laudabili instituto, hic etiam Fidei Promotor, argumenta in contrarium, quæ potuit opponens, abfuisset.

Sed jam immania Vada & obstantes scopulos eluctata Oratio mea, patens pelagus ingreditur, & licet immensum sit; velis, remisq; summas carpens undas, brevi delabetur in portum. Aderit comes ubiq;, imò prudentissimus Nauclerus D. JOANNES. qui appenso ad malum Crucis, intimæ Contemplationis velo; placidissimâ Divini pnevmatis aurâ, pleno: nunc pacificum immotæ Fidei, inconcussæq; fiduciæ mare legit: nunc ad firmum, bonæ spei promontorium, stabilem jacit anchoram: nunc ad fortunatas Charitatis insulas, excelsam puppim alligat, haud ampliùs alto committendam. Ac cælestium quidem contemplatio Princeps esto. Hanc in priscis illis Asceteriis spectatam, seculorumq; injuriâ planè mortuam, Divus JOANNES, in suo sodalitio; post Seraphicam Matrem TERESSIAM, primus suscitavit. Adeò parùm illi fuit, inter innumera prodigia, mortuos ad vitam reduxisse; nisi ipsam vitam Contemplativam, vitæ; hoc est, sibi reddidisset. Paradoxa hæc, minus habent ingenii quàm veritatis: nempè meliùs spectantur, quam narrantur. Præluxit in hoc sequacibus suis, cælestis ille animus, terrasq; ne puncto quidem contingens: nempè Sphæra hæc, mundo simpliciter excentrica; circa proprium Centrum, continuò volui debuit. Et mirabimur illi tantopere odiosam fuisse, carneam hanc molem: quæ nobilissimum spiritum, impar sanè, tanto hospiti, importunusq; Paterfamilias, detinuit? Inclusus cavâ nube ignis ardentissimus, dum tentaret erumpere; quid mirum, si horrendum intonuerit, suumq; domicilium lacerârit? Linquebat sæpenumero sedem suam, qua poterat, planèq; ibi non erat, ubi erat; dum illuc cupit evadere, unde erat. Spiraculum vitæ, in faciem hominis, communi quidem; sed tamen nobiliori modo inspiratum, ad suum anhelans principium: dum corporis carcere detinetur; ipsum non semel, cum suis fulcris, in sublime tollebat. Ergonè **putabimus**, aut fidem ipsi defuisse; qui nimirum non iam crederet, quod non videret; sed videret, quod crederet? aut fiduciam non adfuisse: qui nedum curam suam supra Dominum, sed se totum, quantusquantus fuit, abjecit? Egestatem ille metueret; qui Regum Regem, in quo omnes thesauri sunt, habebat ex asse suum? Num deessent necessaria DEO militantibus? Majori nomine obligatum sibi Numen, certò confidens; in maximis inconcussus, in minimis non vacillabat. Jam verò amoris ardentissimi, succensas in eo flammas, vivas semper, & per singula momenta majores, quænam Ætna exprimeret? quis demonstraret Vesuvius? Non mihi si centum linguæ, centum adsint ora, vel ipsum enarrare Proœmium fas esset: adeò sublimi stylo Amor perorat! cujus Inventio ex Locis non Communibus terreni ingenii; sed propriis petitur:

non Dialecticis sive argumentis, sive argutiis; sed ex cælesti Theologia erutis desumitur: Dispositio non partibus; sed Toto constat, quod DEUS est: Elocutio non oris; sed cordis est. Quæcunq; hâc Arte, Divinus iste Vir, vel scribendo, paginis; vel loquendo, mentibus impressit: cuncta Amorem spirãt & flammas. Ut non immeritò ELIAM igneum, credamus rediisse. Revolvite Mysticos ejus Tractatus: non aliud judicabitis, quàm flammarum seminarium. sive arduum Carmeli ascensum, fallente laborem cantu levigat: sive periculosum Noctis obscuræ iter, charitatis face collustrat: sive Flammam Amoris vivam, faustus mundo Phaëton spargit: sive Canticum spirituale, Salomonico spiritu; sed Angelicâ puritate, extra se raptus occinit. Et quandoquidem Amor ignis est; latere minime potest. prodit ille se, erumpitq;, disjectis obstaculis; aut in se conversis. Unde illi toties visi circa Sanctum splendores? Unde-nam insolitâ luce suggestus radians? in splendoribus quippe Sanctorum habitans, quid aliud promeret nisi fulgores? Unde illa tam lenis, tam benigna in omnes comitas; quæ totum aliis impendebat, quod negabat sibi? Nempè bonum, adeò sui communicativum est; ut nedum sua, sed seipsum libenter impertiat. Ita sanè qui seipsum, aliis serviendo consumpsit, in tantùm sibi eviluit; ut honorem contumeliæ, contumeliam honoris minime acciperet. Summus illi gradus despici, summum tormentum laudari. Præesse compulsus, primum submissionis specimen dedit; quòd promptè paruisset. Nonnisi ex vestitu vilissimo, & continuo pietatis exercitio Prælatum agnovisses. Ad labores & ærumnas, non tam jussu & hortatu; quam exemplo, subditos sibi manuducens: semper se priorem exhibuit: quod est verè Priorem esse. Collatam sibi festis Quiritum acclamationibus Provinciam, contrario planè aliis exemplo; etiam compilatâ Patriâ cælesti, thesaurisq; illius, pio sacrilegio, ex sacratiori templo ereptis, magnificè exornavit. Sensêre Magnum potestate, licet corpore exiguum revixisse BASILIUM, desertores spiritus. Possessas hactenus Urbes animatas, quarum aut exterius corporis pomærium; aut intimam mentis arcem, belli jure, tot annos obtinuêrunt; vel imperio, vel armis coacti dedere; ad concolores sibi Nigritas, inglorii ringentesq; redierunt. Extorta dolo malo chirographa, inviti reddidêre pessimi negotiatores: judicante JOANNE, contractum non valere, quem minorennis, & Sponsa, inscio Marito iniisset: & læsus ultra dimidium venditor esset. Reveriti sunt corporum carnifices morbi, medicum animarum: cui multò facilius erat externos languores, quàm interna, eaq; periculosa mentis symptomata curare. Undas aut ex nube, ignibus; aut ex fluvio, seipsis armatas, non extimuit: ejus enim structura, non in arena; sed in solida fidei rupe, stabilita; omnes aquarum elationes, à puero formidare dedidicit.

Sed me aquarum & pueritiæ mentio, illius infantiæ admovit; quâ renati cælo, ad ubera Creatoris festinant, felices filii: exhibente funebri velo fascias; & feretro, cunas imitante. Ea nempe filiorum DEI, verè natalis dies est; quæ ex angusto ac tenebroso mortalitatis utero, magnas mentes, in lucem effundit immortalem. Nascere cælo magne Infans; nascere! sat maturus es, cui ultra Naturæ præscriptum, decem non menses; sed lustra effluxerunt! En jam intra medium silen-

tium,

tium, adest auspicata nox, Tuâ luce velut dies illustranda. Adest desiderata duodecima; quæ diurni laboris Tui, à primo exortu, ad extremam usq; facem fidelissimè continuati: exoptatam quietem, & amplum accelerat stipendium. Undecimâ licet horâ mundi, ad opus Tuum veneris; ne dubita, primis Te coæquandum, adeò sedulum vinitorem! Sabbativus Magnæ VIRGINIS dies, tot ærumnis fesso, tot laboribus fracto, tot doloribus exhausto, verè quietus, verè sabbativus extitit. Rectè sanè antelucana volucris, mellita luscinia, quæ tot modulis obscurâ nocte continuatis, cælites oblectasti; nocturnas laudes cantatura, evolas in Cælum! Moyses mitissime, post consignatas meliori populo leges gratiæ, in montis Calvarii vertice, (ad radicem nimirùm Crucis) expiras, in osculo Domini! Effundis halitum vitæ, in cruentas Plastæ Tui plantas: ut purissima innocentiæ columba, in foraminibus petræ conquiescas! O! felicem animum, qui ne prolixo æternitatis itinere, à dilecti sui præsentiâ, vel minimum abesset; primum è corporis januâ, ad ejus pedes gradum faciens; tot passuum myriadas, hoc compendio confecit! Lucis beatissimæ novus hospes, splendoris sui radios, nedum in corpus; sed in sepulcrum etiam derivare potuit. In montem thuris, ex monte myrrhæ translatus, admirandam omnibus impressit fragrantiam, quæcunq; illi adhæsêre. Distractæ dehinc ac planè discerptæ, paupertatis gazæ. magni muneris loco donata Magnatibus patientiæ supellex, armamentaria pietatis: repetentibus ab intestato bona illis, qui eum sanctum esse testabantur. Litigatum magnis Urbium contentionibus, de exanimi corpusculo: & quidem sub CLEMENTE VIII, ut jam constaret; augusta hæc Clementiæ Nomina, Gratiæ amica esse. Nec immeritò quidem, de illo corpore certatum; cujus minima quoq; portio, Æsculapii Galeniq; pharmacis nobilior, saluberrima morborum amuleta, mortis antidota, præstaret necessitati; Parrhasii Apellisq; officinam, piæ curiositati. Arrexit ad hanc, nullo visam seculo scenam, perspicaces oculos, attonitus orbis: spectavêre tot oculati testes, Ideas illas cælo conceptas; non Platonica, & vana figmenta, ex sapientum commercio, jam pridem explosa; sed nova Divinitatis prodigia: quæ dum oculos exteriùs pascunt, mentem miro cælestium desiderio succendunt. Habeat sibi suas lutulenta Ægyptus literas; tot obeliscis ac pyramidibus insculptas, tot sapientum voluminibus explanatas: quibus sacrarum vocabulum injuriosè attribuit! alias jam Carmelus invenit, verè sacras, planèq; Hieroglyphicas: in quibus scilicet, non Crocodili aut baculi; sed suâ specie, DEUS designatur. Etiamnum illud nobilissimi spiritûs receptaculum, in præcipuam quandoq; triumphantis Ecclesiæ gemmam assumendum; è medio corruptionis cinere, admiranda exhibet Phænomena; futuræ beatitatis pignora, in terris præcipiens: cumq; videre DEUM necdum queat; facit videri. Occultaverat sanctus pertinaci silentio, exhibitam sibi toties Numinis præsentiam: sed linguarum vices, subiêre humiliata; imò veneranda ossa; quæ toties Domino suo exultârunt: ut scilicet prædecessoris sui ELISEI exemplo, mortua Prophetarent: quæq; dum viverent, ut cremium aruerant; post obitum, de sepulcro pullularent.

Ruit

Ruit jam, cum labente in præceps die, tanto rerum pondere depressâ, Oratio mea: suumq; Horizontem deserens, rubet in occasu; quòd contumaci dicacitate, sancti laudes attrectare præsumpserit: quem nemo laudavit meliùs, quàm qui exactiùs imitatus est. Tuæ id datum felicitati, Carmeli Excalceati Ordo Amplissime; magis vitæ sanctimoniâ, quàm dicendi ubertate, Parentis Tui encomia celebrare: qui cælorum genuinus stylus; ac proinde sublimis est. Fruere Antesignani Tui Triumpho, cœtus candidissime! Præcipe trophæorum Tuorum gloriam, quibus sub extremum agonem Orbis, niveo isto nitore in purpuram verso, (tot præcinentibus Oraculis) inclaresces. Portam Gratiarum, CLEMENTIS X. reseratam Clementiâ, primus ex Tuis intravit D. JOANNES; sed minimè solus: quem tot brevi magna Instituti Tui decora, consequentur: tanti Parentis, simillima sanctitate proles. Triumphis aggerentur Triumphi: laureæ succrescent laureis: nec unquam gladius Tuus, pro DEO Exercituum, pugnare cessabit; donec cælum novum, suis syderibus planè exornatum, mundo finem dederit, & initium æternitati. Triumphas jam, æternùmq; triumphabis, fulgentissimâ Fratrum cinctus coronâ, Magne JOANNES. Debitos Tibi honores, gratulabunda ubiq; majori fortasse apparatu, reliqua Christianitatis Regna persolverunt: non tamen his cedit Polonia; quam ô velis dici & esse Tuam! Amica hæc est CRUCI Tuæ; dùm ejus trophæa, contra sævam Orientis procellam explicat: & bacchante; in mutuasq; cædes, proh dolor! forti, Christiano orbe; sola, (magno licet finium & salutis impendio,) tuetur. Adesto laboranti gratiosissime Tutelaris! Porrige fatiscenti Ecclesiæ muro, benignam opem; jam antè, Serenissimo JOANNI CASIMIRO, (ipsius testimonio) exploratam. Agnoscat Violata Religio, Te zelatorem CRUCIS, cujus fulgentia Trophæa, nuper ex præcelsis sacrarum ædium fastigiis, Odrysiæ lunæ, immani ausu deturbârunt! Augustiores Tibi præreptos plausus, Eliano igne vindica: quos inter Sarmaticas Urbes, Podoliæ quoq; Metropolis, in Tui olim Ordinis Basilicâ, nunc infami heu! Machometanæ impietatis lustro; non minori pompâ Tibi persolvere gestiebat. Impetra auxiliares è cælo copias JOANNI III: Vindicatæ Religionis gloriam, tot Victoriis auspicatam, in solidum deberi effice, cognomini Regi! Ultor hic injuriæ Tuæ, ultor fractæ fidei, ultor offensi NUMINIS, pro CRUCE & cum CRUCE pugnans, Te Duce, Te auspice, existat, IN HOC SIGNO VICTOR.

DIXI.

A. M. D. G.

LESNÆ,
Imprimebat MICHAEL BUK. Anno M. DC. LXXV.